AD

ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM

D. D.

JOSEPHUM GRASSERIUM

EPISCOPUM

REGIMEN VERONENSIS ECCLESIAE SUSCIPIENTEM

ORATIO

HABITA IN BASILICA CATHEDRALI


A CANONICO

JOANNE BAPTISTA CONATI

JUSSU ET NOMINE

AMPLISSIMI CANONICORUM COLLEGII

OCT. KAL. APRILIS ANNO MDCCCXXIX.



VERONAE

EX EPISCOPALI ET CAPITULARI

TYPOGRAPHIA CRESCINIANA

MDCCCXXIX.

ORATIO

Quod erat maxime optandum, Illustrissime, et Reverendissime Praesul, et quod enixe votis supplicationibusque a Deo O. M. precati sumus, ut eximio Episcopo INNOCENTIO LIRUTI, in hac Veronensi Ecclesia Pastor sufficeretur, qui singularium Demortui virtutum exempla renovaret; id nobis fauste, feliciter prospereque hodiernus dies attulit; idemque initium, quo squallentes templi hujus aras, urbem, provinciam totam pristina laetitia gestientem conspiceremus.

Non enim ita obscurus, nobisque novus Veronensis Ecclesiae regimen suscepturus accedis, ut incerti spe metuque in futuram nostrum omnium conditionem haesitemus. Jamdudum nobis fama certissima retulit, qua morum sanctitate, qua animi benignitate, qua ingenii perspicacia, quo mentis consilio, tum in publicis officiis administrandis, tum demum in Tarvisina Ecclesia regenda semper extiteris; ex quo quum mihi ab hoc amplissimo nostro Canonicorum Collegio munus demandatum fuit, ut in tanta hujus templi luce, in tanto populi conventu, ex hoc ornatissimo ad dicendum loco de faustissimo adventu tuo verba facerem, diu animo haesi, utrum scilicet ego tibi, vel huic potius Ecclesiae, huic sacerdotum coetui, cunctisque civium meorum ordinibus gratularer. Nam si cujusque populi felicitas ab hoc potissimum pendet, ut singuli sancte, honeste, et tute vitam suam

agant; si sacerdotis est mentes hominum religionis praeceptis ac doctrinis imbuere, propositis exemplis regere, reluctantes impellere; si contra Episcopi sunt *primi presbyteri, summique sacerdotes*, qui nobis praepositi, studia nostra moderantur, munia distribuunt, labores prudentia, consiliis, decretis adjuvant et excitant; quis erit laetitiae, quis gratulationibus, plausibusque modus, quum nobis ob acerbissimam tanti Pastoris ac patris jacturam jamdiu lacrimantibus liceat tandem alterum Pastorem excipere, patrem alterum amplexari, loquentem audire, perpetua consuetudine potiri, perpetua oblectatione diligere? Quae quum ita sint, facile poteris animadvertere, Praesul Amplissime, ab Tarvisina sede ad nostram adveniente Te, nos jure optimo ac merito tanta laetitia perfundi, quantam Tu ipse a festo atque insolenti totius urbis, atque hujus praecipue templi cultu, a mu-

tua civium omnium exultantium gratulatione, a concursu frequentissimo tuis ipsis oculis intueri, tuis ipsis auribus percipere potuisti. Atque utinam mihi quoque contingeret, ut in tanto animorum gaudio par in dicendo facultas suppeteret; nec dum caetera omnia solemni cultu, et expolitione praestant, mea solummodo inculta et inornata procedat oratio! Quod quidem si ex virium mearum tenuitate, ut vereor, non ex animi mei voluntate, ut testor, futurum sit, optime laudi tuae, optime honori meo consulueris, si mihi de tuis virtutibus praeconium instituenti faciles, et patientes aures accommodaveris: ex quo plane, aperteque innotescet, benignitatem tuam non ex laudum mearum testimonio, sed a singulari tui animi humanitate potissimum derivare.

Atque ut ex iis tuis dotibus initium sumat oratio, quae, quum nihil cum fortuna commune habeant, solertiae nostrae tantum et virtuti tribuendae sunt; non ego modum praetergredi videar, si in omnibus tuae vitae quasi gradibus plurima commendatione dignissima palam profitebor. Vix enim e pueris excessisti quid tuus ille agebat mentis ardor? quorsum labores diei, quorsum vigiliae noctis tendebant? Tu magno animo illas voluptatum illecebras effugisti, quae saepe juvenilem aetatem misere enervant et impediunt. Tu otio, foedissima ignavorum peste, languere nefas duxisti: quin immo illum tantummodo honestum et virtute praeditum existimans, qui optimis morum institutionibus, optimis praeceptis animum, et mentem imbuerit, eam vitae rationem divinitus certe afflatus suscepisti, qua homines Deo propius accedunt, qua promptius ad studia incendimur, qua

denique vis et alacritas ad morum integritatem suppeditatur. Quamobrem novis et divinis, ut ita dicam, praesidiis munitus et fultus ad majora in dies enixius tendens, in suscepto vitae probatissimae cursu optima tuorum opinione, dignissima commendatione omnium ferebaris.

Quicumque enim divino cultui addictus est, nisi probitate praestet et scientia, difficultatibus saepe implicitus haereat, fluctuet incertus, et veluti navis imprompta atque imparata aestuantis pelagi ludibrium in scopulos irrumpat necesse est. Hinc fit ut tum sibi, tum nostrae sacrae familiae male consulant ii, qui sacerdotalem conditionem tantum ab dignitatis gradu reverendam putant. Sunt enim, hac nostra praesertim aetate, nec pauci, qui parum Religioni studentes, quidquid incomptum, ac fortasse rude in nobis invenerint, hoc idem capta occasione Religionis ejusdem dedecori

tribuant, et quam contemnere vel maxime cupiunt, eam veluti indicta causa pessum dent.

Quod quidem quum rite atque optime usque ab adolescentia compertum habueris, facile fieri potuit, ut institutam vivendi rationem validius confirmares, et majori nisu ad omnimoda studiorum genera contenderes, ex quibus debita ad opus ministerii, ad vitae ornamentum et gloriam subsidia derivantur. Sic te favor et sapientia Numinis facili quodam impulsu ducebat, ut quem jam tum ad alios in studiis erudiendos designaverat, ipse antea scite et diligenter docenda edisceres, et qui *candelabrum in domo Dei* eras futurus, e primordiis usque tuae vitae clarissima honestatis luce splendesceres.

Neque ego de illa tua prima aetate in dicendo longius immorabor, quae sub aliorum magisterio constituta quum sit, doci-

litatis potius quam virtutis laudem demerere videtur. Illa, illa recenseatur aetas, qua quum studiorum cursum gloriose confecisses, et sacerdotalem gradum assequutus esses, tui omnino juris esse coeperas. Num tuae pietatis et religionis amor ac studium deferbuit? Num in excolenda virtute ardor elanguit? Num labor ac sollicitudo in literis ac scientiis, quibus alios praestare contendebas, relaxata est? Age, Brixinonensis Episcopus, ut in Rhaetia mos est, te adjutorem curioni constituat, ut, quae in scholis didicisti, opera, usuque perficias: num populi docendi sedulitas, num sacrorum administrandi munus, num caeterorum operum varietas, qua pastorale officium urgetur atque distringitur efficere potuerunt, ut a semel excitata atque confirmata discendi cupiditate decederes? Abstrusum quidem et grave sit supremi Numinis naturam, consilia, leges inquirere atque perscrutari; vastum atque

difficile ea omnia, quae ad haec usque tempora a romanis Pontificibus decreta atque statuta fuerunt mente complecti, et retinere; laboriosum humanos actus, virtutes, vitia pendere; arduum fastos omnes, qui Ecclesiasticam historiam continent et illustrant memoriae mandare; difficillima quidem sint omnia atque operosa; non tamen animum tuum frangere ac debilitare, sed ita potius inflammare potuerunt, ut apud insignes sacrarum disciplinarum doctores, ingenii ac scientiae fama merito inclarueris.

Quum tales tuae promptae atque perspicacis mentis labores essent, quaenam erant otia? Ea scilicet omnia quae soluta aut ligata oratione aureum Latii, et Graeciae saeculum immortalitati mandarunt, quaeque recenti semper fama, dum literis pretium erit, duratura sunt, ea, inquam, tibi in deliciis esse, ea te diurna et no-

cturna manu versare, ea ubi maxima est sententiarum vis et venustas ad verbum discere, ut etiam absoluta lectione, mens tamen aliquid in promptu haberet, quod illi seu delectationem, seu utilitatem renovaret. Quae quidem utrum otia sint, severioris ingenii homines disputent: mihi vero certum indubitatumque erit, fore neminem, qui hac sine ope, et, ut ita dicam, supellectile quae ab hujusmodi otiis comparatur, aut absolutae doctrinae ac sapientiae famam assequi, aut uberes fructus in Ecclesiastico munere possit afferre. Quum enim sacerdotis sit populum instruere, illum a pravis consuetudinibus removere, et exhibitis sanctitatis exemplis ad virtutem impellere, quumque in civitatibus praecipue coetus hominum non ea tantum multitudine constet, quam humilitas generis et conditionis ab expolitiori animi disciplina prohibuit, verum et ea quae propter

eruditionem et scientiam apud sanos viros in pretio habetur et est; quis inficiari poterit ordinem orationis, elocutionis proprietatem, sententiarum vim, ornamenta et cultum necessarium summopere esse; atque ita, ut rei gravitati et loco conveniat, et ab iis potissimum fontibus deducatur, qui quocumque tempore apud omnes gentes principem locum obtinuerunt? Hinc plurimi Ecclesiae Patres in hoc potissimum solliciti fuerunt, hoc posterorum curae et studio demandarunt, ut praeclarissimos tum oratores, tum poetas assidue perlegerent, imitarentur attente, atque ex illis nobiliora quaeque, et splendidiora excerperent: ad Hebraeorum exemplum, qui ex Aegypto aurum, argentum, et vestes idolorum abstulerunt, quibus veri Dei templum exornarent; ad David exemplum, qui e vagina Goliat gladium eduxit, quo ipsius Goliat caput obtruncaret.

Sic quasi inter privatos parietes aliis quidem, non tibi ignotus per biennium vitam agebas: tantum interim eruditionis et doctrinae thesaurum cumulaturus, quo in publicam tandem lucem egressus, tum literis et moribus, tum nomini tuo et gloriae maximo certissimoque esses emolumento: similis auro scilicet metallorum pretiosissimo, quod in obscuris montium latebris venas diffundit, quae mox effossae atque arte repurgatae, et in elegantes formas deductae, ipsis etiam viris principibus decori et ornamento sunt.

Revera qualis quantusque esses Bavariae Regis sapientia, cujus tunc temporis in ditione Rhaetia erat, clare perspexit; nec passa est Te diutius delitescere, et copiosissimos acquisitae doctrinae fructus ad tui solius animi solatium recondere; quin imo te in Professorum numerum cooptavit, et Religionis praecepta in Brixinonensi Gymnasio docenda

tradidit, ubi quum angustis finibus tuam sapientiam et prudentiam contineri vidisset, idem munus Oeniponte a te suscipi voluit, caeterisque ejusdem Gymnasii scholis praefecit. Quod quidem, Europae rebus instauratis, et in pristinam Austriae ditionem Rhaetia redacta, optimus noster Imperator Franciscus non solum ratum habuit, probatumque, sed etiam, ut benignissime ostenderet quantum apud eum gratia valeres, te omnium Rhaetiae Gymnasiorum moderatorem jussit. Oh! vere sapientes, atque hinc praecipue populorum patres principes illos, qui optimis praeceptoribus et moderatoribus juventutem instituendam curant! oh! beatas illas civitates, quibus tam pretiosum munus obtigerit! oh! felices juvenes illos, quorum adolescens aetas virtute ipsa atque ipsa sapientia duce procedat! Quorsum enim magnificentia urbium, quorsum agrorum ubertas, quorsum tempesta-

tum benignitas, quorsum deliciarum omnium, quae in natura sunt, varietas et copia, si naturae ipsius prodigium, homo scilicet, incultus foedissime torpeat? Ipsae sapientissimorum virorum leges, ipsa Religionis praecepta deficerent absque provido optimarum institutionum cultu, quo animi nostri emolliuntur, virtutum praeceptis imbuuntur, ad grandia excitantur. Quamobrem, si immortalitati traditi fuerunt Praxiteles, Phidiae, Canovae, quod sculptis et ad vivum spirantibus hominum imaginibus templa civitatesque decoraverunt; quis honor illis habendus erit, qui non fictas hominum effigies et simulacra, sed homines ipsos ad humanitatem et virtutem informant, ac certo et mirabili quodam magisterio familias et patriam nobilitant, fulciunt magistratus, Religionem tuentur, virtutemque in animis hominum inserunt, alunt, aeternant? Atque hoc genus laudis

utrum tibi tribuendum sit, non ego coram profitebor, quum id juvenes omnes, qui Te praeceptorem, et moderatorem habuerunt, quum familiae, magistratus et templa concorditer testentur. Quum enim iis dotibus, quae animum hominis nobilem reddunt, Te large natura ditaverit, quum solertia et labor reliquum omne addiderit, quod a literarum scientiarumque disciplinis hauritur, omnes naturae et artis fructus uberrimos non alio nisi in publicam utilitatem contulisti. Quo enim consilio ea affabilitate et modestia usus es, quae adeo suaviter omnes tui animi motus moderatur? nisi ut eorum omnium, qui maximopere virtutibus et profectu eminerent nisus magnanimos confirmares, et tibi paterna admodum benevolentia devincires. Quo consilio ea sagacitate, qua vel intimas animorum latebras perscrutaris et internoscis? nisi ut nascentia vitia extirpa-

res, germinantes virtutes educeres.. Quo consilio laboribus nunquam vigiliisque pepercisti ut latissimos literarum scientiarumque campos insatiabili gaudio percurreres? nisi ut ditissima doctrinae segete collata adolescentibus adjumento esses et exemplo. Hoc satis fuisset ad laudem tui muneris; non autem erat ad sollicitudinem tui animi. Liceat mihi, quaeso, Praesul Amplissime, liceat hodierna die in publicam lucem proferre, quod a Te cautissime et occulto peractum scimus. Sunt enim non pauci, qui propriam expolitionem in studiis ab tua liberalitate repetendam fatentur. Eos enim, quibus res familiaris angusta erat, optima vero indoles, ingenium acerrimum, eos saepissime ære, ære, inquam, tuo liberaliter sustinuisti, et ad gloriosam studiorum metam tua quasi manu pertraxisti: in solis exemplum, qui dum radiorum vi adolescentes arbores educit, auget, ampli-

ficat; iisdem mox radiis, quum nimio aestu illas pallescere et elanguere videat, vapores in altum trahit, qui in nubes cogantur, et vivificis imbribus deficientes vires instaurent.

Quum Te talem in studiorum moderatione exhiberes, facile dictu est quanta Te omnes existimatione, quanto amore prosequerentur. Jamque Tu satis beatus iis purissimis voluptatibus, quibus recte factorum conscientia animos allicit, nunquam a suscepto munere recedendum cogitabas. Quum amplissima Caesaris mens atque benignitas, quae suorum virtutes facili benevolentia complectitur, atque rependit, debita et ampla tuis meritis praemia parabat. Quum enim in tentamine ad cathedram Theologiae moralis in Archigymnasio Oenipontino strenue contendisses, dum, laurea certaminis adjudicata clarissimo aemulo, qui tecum in agone contenderat, castris cede-

bas, ex inopinato sapientia Caesaris Te Tarvisinum Episcopum designavit. Sic dum minora petebas, dignus majorum repertus, majora assequutus es.

Majora dixi. Quid enim Episcopali dignitate majus, sive ejus fastigii nobilitatem, sive auctoritatis amplitudinem, sive honorum splendorem recenseas? quid optabilius, si ea ipsa vitae commoda, quae fere omnium cupiditates extimulant, ab illa non desint? Aedium nitor, vestium nobilitas, famulatus copia, praediorum ubertas, clientum frequentia et obsequium illos fortunare videntur, quibus tantus honor obtigerit. Quae autem plurimorum animos allexissent, tuos sensus turbare, commiscere, anxietatibus, tristitiis excutere. Non enim Episcopale munus pendebas ab honoribus, sed a sanctitate; non a censu, sed a curis; non a laudibus hominum, sed a verbis Christi: *Ego elegi vos, ut*

eatis, et fructum afferatis. Anxius, ambiguus, anceps inter metum periculi, et coelestium praesidiorum spem animo haerebas. Te amicorum consilia in collatum munus impellebant; Te oneris gravitas, et humilitas tua retinebant. Vicerunt tandem amicorum voces, imo Dei. Lenitas tui animi paruit: Episcopus fuisti. Quod, ubi Tarvisium renunciatum fuit, quo jam meritorum tuorum fama pervenerat, omnes desiderio tui inflammari, omnes laetitia maxima efferri. Nec immerito: jam Tu plenus Deo commissam tibi provinciam suscipis: et quae potissimum utilia sint tuo gregi meditaris; dum autem illum Episcopali salutatione compellas, quae primum Tibi gerenda sint vides: *Pax vobis*. Non ignorabas aliquo partium studio gregem tuum actum fuisse: timebas ne quid reliquum in illo contrariarum cupiditatum insideret: videbas nil sancti, nil honesti,

nil firmi, nisi in benevolentia et animorum conjunctione sperandum esse: *Pax vobis*. Hinc te erga omnes facilem praebere; hinc gratia et beneficiis animos allicere; hinc aures querelis denegare; hinc virtutes et merita amplexari; hinc Te affabilitatis, comitatis, modestiae exemplum exhibere; hinc pacem, quam ore edixeras, opere, virtutibus, sermonibus confirmare: *Pax vobis*. Sic veluti serenitate coelo, tranquillitate aeri restituta, Tu laetior et tutior gregem in pascua educebas, illud potissimum corde gerens, ut eos fructus divino Pastori offerres, quos a suis procuratoribus et vicariis expostulat. *Ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis.*

Est autem ubertatis et prosperitatis fundamentum, ut custodes vigiles sint, salubria pabula, loca tuta, ut opportunis institutionibus eos alas, qui in deficientium custodum vicem cooptentur, ut subditos

in officio contineas, omnes vero quam maximo fieri potest tibi amore divincias. In quo quidem utrum totus fueris, nemo est ex Tarvisinis, qui non viderit. Quos enim praepositos pascendo gregi reperisti, eos benevolentia et laudum stimulis ad munus inflammare; quos novos praefecisti, eos ex multis caute seligere, expendere diligenter, ut certa gregis custodia esset et incrementum. Quamquam vero probatissima tibi foret eorum virtus et diligentia, non semper in iis acquiescere, sed identidem commissos greges et pascua vel remotissima invisere, ut, si quid incautum, vel nocuum irrepsisset, removeres; sin omnia prospera, ea meritis laudibus stabilires et augeres. Qua vero cura et sollicitudine non tenebaris ob illud, ut ita dicam, Viridarium, in quo juvenes ad Ecclesiae spem et ad futuram Christi gregis custodiam aluntur? Nihil aliud profecto unquam fuit,

quod magis curares atque foveres. Mores, studia, solatia ipsa Te totum habebant; et, si quos arguere fortassis necesse fuisset, hoc remotis omnibus a Te fiebat, ut, quasi a se ipsis, non ab auctoritate ducti viderentur resipiscere; si quos laudare, hoc libentissime coram omnibus a Te fieri cupiebas, ut virtus meritum praemium haberet, et caeteri spe simili vestigia bonorum sequerentur. Quid dicam de admirabili illa tuae vitae honestate, qua, vel invitos, in tui exemplum trahebas? Quid de tua liberalitate, qua in occulto egenis succurrebas, palam vero conspicuos homines tua consuetudine ac mensa ipsa frui patiebaris? Quid de illa eximia sermonis, morumque suavitate, qua saepe et saepius nitebaris tegere dignitatem tuam, ut liberius adstantes tua comitate et humanitate recreares. Ipse, ipse ego testis, Praesul Amplissime, qui, quae dixi, pro admirabili

benignitate tua et videre potui, et summopere diligere; quamobrem omnes virtutes tuas animadvertens clare intellexi, quam merito tui jacturam Tarvisini conquerantur, fortunam nostram invideant. Sic Episcopus fit sui populi pater, non ab dignitate, sed ab animo; sic populi se filios profitentur, non metu, sed benevolentia; sic quaedam veluti familia beatissima existit, quam animorum concordia, pax, et laetitia exhilarat, atque arctissimis amoris vinculis in diem conjungit.

Quod si commissi tibi gregis commodo atque utilitati inservire tantopere valuisti, quum adhuc novus gravissimum Episcopi munus gereres; quid nunc jam ad eundem usum et disciplinam peritus praestabis? Si difficillimis temporibus Tarvisinae Ecclesiae Pastor electus ea prudentia, moderatione, virtute Te praeditum exhibuisti, ut omnium animos et voluntates in tui unius

amorem et existimationem converteres; quid pro tui animi magnitudine et humanitate in hac Veronensi Ecclesia, ubi pacata et ordinata sunt omnia, observantiae et benevolentiae tibi conciliaturum putabis? Si denique ea Sedes, a qua nuper decessisti, gloriosa quidem et conspicua, verum hac quam modo assequutus es, tum amplitudine concessi juris, tum urbis nobilitate longe minor, tam validos generoso tuo animo stimulos addidit, ut nullis laboribus et anxietatibus parcens eam probitatis sapientiae, et benignitatis tuae monumentis illustrares; quibus consiliis egregia tua indoles, quibus stimulis in hac praeclarissima Urbe non urgebitur, in qua tum commissus grex numero major, tum a jure concessa auctoritas et facultas latior, tum sapientissimorum insigniumque magistratuum praesentia spectabilior, tum denique in omnimoda scientiarum, literarumque

eruditione praestantissimorum civium copia frequentior animum, non dicam appetentem gloriae, sed sui muneris obeundi cupidum, ad majora acuit, excitat, impellit? Suscipe igitur, et gere commissum Antistitis munus tam bono animo, et consilio, quam certa spe et securitate tibi demandatum esse gratulamur. Agedum nostrae hujus Veronensis Ecclesiae rector, et moderator accede ea mente, ut prospera, immo florentissima omnia futura certo scias. Haec est enim ea Ecclesia, quam Euprepii, Zenones, totque alii primae aetatis Episcopi, quos divinis honoribus prosequimur, doctrinis et sanctitate illustrarunt; quamque usque in hanc diem praesenti, firmoque praesidio illustrem esse voluerunt; haec, quam Gibertus, et propiori aevo Maurocenus sapientissimis constitutionibus editis, sanctissimisque vitae moribus firmatis celebritati commendarunt; quamque hic

Sacerdotum ordo, ratus disciplinam, studium, sedulitatem esse veluti pretiosissimum patrimonium ab illis immortalibus viris suae fidei commissum, tum ingenii monumentis, tum probitatis et pietatis exemplis et exornare enixi sunt, et exornare contendunt. Atque utinam mihi tantum esset ingenii, tanta in dicendo vis atque facultas, ut, dum haec, quam cernis, Ecclesia, splendidissimo cultu undequaque exornatam se hodie exhibet, Ecclesiam alteram, quae non a pretioso marmore, non ab ære sculpto, pictisque tabulis et sericis aureisque ornamentis, sed ab omni virtutum genere firmitatem, amplitudinem, et decus acquirit, tuae menti digne sistere, et singulari tuae benevolentiae digne commendare possem! Sed potius ab hoc periculoso freto orationis meae vela contraham, ne aut sacrae nostrae Societati nimium indulsisse, aut religione aliqua, quae di-

cenda erant, praeteriisse videar. Utrum vero morum innocentià, utrum disciplinae amor, utrum discendi cupiditas, utrum sacrarum rerum exercitatio et cura adhuc vigeat, Tù ipse per te videris, Tu ipse testaberis. Ego omnia brevi praecidam, et hoc unum dicam: Tui juris nunc sumus, optime Antistes: tibi in castris Christi stipendia facimus; quidquid operis nostrum est, tuum est. Tu pater patris vocem emitte, nos filii obedientiam et amorem filiorum praestabimus; Tu signifer vexilla arripe, nos fidentes sequemur; Tu ad labores, ad pericula jube, nos lubentes aggrediemur. Hac scilicet virtute Veronensis Ecclesia semper stetit, nec adhuc in nostris pectoribus oblivione deleta sunt illustria majorum exempla. Si ipsi in verbo Dei explanando solliciti, si ad sacrum tribunal patientes, si in egentibus juvandis liberales, si in miseris solandis perhumani,

si in componendis dissidiis prudentes, si in omnium virtutum genere, si in omnium studiorum disciplina et cultu praestantissimi, nos ex tot virtutibus non vanam haereditatem gloriae nobis devenisse, sed quid pro viribus in hac Ecclesia Dei gerendum sit, statutum et praeceptum fuisse ducimus. O magnae et felices majorum animae, quorum nomina Religio et virtus, quorum ingenia ipsa scientiarum et literarum fama tutatur! en nepotes, qui vestris praeclarissimis vestigiis inhaerere contendunt. O illustres et piissimae sanctissimorum Episcoporum exuviae, quibus, dum vita fuit, solum regendi, juvandi, tutandi gregis vehemens studium peramantissima pectora extimulavit! en vobis Episcopum, qui vestras virtutes in hac Ecclesia perpetuare optat et parat. O arae, et sedes non immerita laetitia ex inusitato cultu, et ornatu gestientes, en vobis faustis-

sima omina, quibus sanctitas et gloria Veronensis Ecclesiae acquiescat. Sic ad multos annos Deus servet gregem Pastori, Pastorem gregi, sicut in omnibus et singulis copiosam virtutum messem non defuturam hujus faustissimi diei laetitia certissima spe pollicetur.

622

624